

05

A

2354



38

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
De
FORTITUDINE,
quam
PRÆSIDE
M. MICHAELE WENDELERO

Moralium & Civilium P. P.

publico examini submittit

JOHANNES SARIUS LIEBSTADIO.

Misnicus Alum: Elector:

in Auditorio minori

ad diem 20. Februarij horis matutinis.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO MDCXLI.



DISPUTATIO PHILOSOPHICA
FOR TITINE
M. MICHAEL WENDLERO



ANNO M DC XLII
A 50
This is a handwritten note or signature, possibly 'A 50', written in dark ink. The text is partially obscured by the stamp and other markings.



Σὺν Θεῶ.
THESIS I.



Umitur Fortitudo non pro qualibet virtute, quæ animo firmitatem, aliquam ad agendum tribuit; nec pro corporis vigore; nec etiam pro quovis periculorum contemptu, sed pro tolerantia in rebus adversis.

I. Sicut autem cujusvis natura ex cognitione ejus, circa quod versatur, rectius intelligitur, ita & hujus præstantissimæ virtutis natura eò melius tradi & perspicui poterit, si in materiam circa quam, potest in ipsos hujus virtutis actus aciem ingenij nostri intendamus.

III. Objectum potissimum in genere ea constituunt, quæ terrorem homini incutiunt. Dico potissimum, si quidem Aristot. expressè dicit 3. Ethic. c. 9. quod fortitudo in rebus timendis magis spectetur, & qui in his imperturbatus fuerit, & sicut debet, se gesserit, is magis fortis est, quàm qui in illis, quæ fiduciam afferunt. *Φοβερὰ* autem sunt omnia formidabilia, quæ dicuntur mala. Subjectum destruentia. Nam *Φόβος* definitur, quòd sit *περσδοκία τῆ καλῆ*, expectatio seu opinio mali pendens.

IV. Quædam autem mala sunt simpliciter, atq; ita comparata, ut ab omnibus sint metuenda. Horum è numero est infamia, quæ semper vivit; nec ei finem ulla unquam affert vetustas. Hanc qui timet modestus ac verecundus, qui non timet, impudens est. Arist. c. 9.

V. Quædam mala neutro modo se habent, eorumq; contraria est ratio, ita ut citra reprehensionem metui & non metui possint, ut est paupertas. Metuere illam debemus, si nostrâ culpâ accidit. Non metui, si præter meritum nostrum, nostramve culpam nobis injustè con-

tingunt, ut si vir fortis præter naturam cum Aristide solum vertere cogatur, aut cum Anaxagorâ in ignem conjiciatur.

VI. Ut mala duplicis sunt generis, sic etiam formidabilia. Quædam enim ita se habent, ut cum à causâ supernâ & divinâ planè orientur, humanæ fortis conditionem omninò superent, sintq; majora & atrociora quàm ut ab homine contemni aut sustineri possint. Talia sunt terræ motus, cometæ horribiles, tonitrua & alia quàmplurima.

VII. Dantur & aliæ, quæ conditionem humanam non excedunt, sed à cordatis & animosis sustineri queunt, ita ut facultates habeant iisdem resistendi. Hujus loci sunt paupertas, exilium &c. In his malis cum non citra reprehensionem hominis animum perturbent, firmitate quâdam opus est, ita ut vir fortis hos strepitus, omnesq; fortunæ fragores non magis extimescat, quàm olim Fabricius elephantum barritum.

VIII. Nunc ad verum & speciale Fortitudinis objectum, quod in maximo omniumq; humanorum terribilissimo, scilicet morte consistit: quâ cum nihil sit horribilius & terribilius, & Fortitudo circa maxima terribilia versetur, nemini non ultro apparet, mortem esse verissimum Fortitudinis objectum, neq; tamen omnem, sed eam, quæ in bello appetitur, & præ se fert honestatem. Et si (sunt verba Clariss. Horneij) in illâ quoque, quæ vel in mari tempestas, vel morbi vis adfert, animo abjecto non est, tamen hæc non est vera fortitudo. Hanc molestè fert, cum in hac virtuti & præclaris factis locus non sit.

IX. Objectum igitur est mors bellica. Qvis enim hostiles acies latissimis in campis dispositas, quis strictos gladios,

dios, quis fulgentes hastas, quis armorum fragores, quis clamores militum, quis tormentorum bellicorum tonitrua, quis ab utroq; latere cadentia & jacentia cadavera omnino non formidet? Et tanta pericula Fortitudo imperterrito animo aggredi docet. Adest utilitas, quia pro lege & grege, h. e. pro Reipublicæ salute & incremento vita exponitur. Accedit difficultas. Nam

— *Non est ut putas virtus, Pater,*

Timere vitam: sed malis ingentibus

Obstare, nec se vertere ac retrò dare.

Quid quod pulchritudo exinde maxima conspiciatur? Quid enim pulchrius (ita Athenienses quondam responderunt) aut in humanis jucundius esse potest, quam egregios cives & domesticos pro salute omnium intrepidus morti exponere. Honestas inde oritur, cum vel vindicanda & asserenda libertatis, & protegendæ Patriæ, aut conservandæ religionis gratiâ oppetatur. Adest celebritas, ob subsequenti famæ & gloriæ claritatem. Quæ enim magno animo fortiterq; & excellenter gesta sunt, ea nescio quomodo quasi pleniore ore laudamus, inquit Cic. lib. 1. offic. Hinc chorus de Menæco ultrò moriente pro Thebanis apud Euripidem in Phœnissis:

— — — ἀγῶνός ἀγῶνός
ὅς ἐπὶ θανάτου ὄχεται, γὰς ὑπὲρ πατρίδας.

X. Sequitur Fortitudinis forma, quæ in duobus conspicitur actibus. Alter est cauta & decens aggressio, alter constans & mascula perseverantia, vel ut cum Arist: loquamur, aggredi & sustinere. Hi autem actus de Fortitudine pronunciantur non disjunctim, sed conjunctim, quatenus vir fortis utrumq; præstat pro ratione circumstantiarum, & quemadmodum viri prudentis iudicium hoc suggerit. Nam quia prior absq; posteriori non satisfacit, posteriorq; virtutem arguit alicujus imperfectionis,

sequitur utrumq; in Fortitudine esse conjungendum. Exterminamus autem timorem illicitum, ne scil. tunc extimescat, quando Respublica laborat: Nec tamen somnians est prorsus ἀναιδής vir fortis, qualis Stoicorum ille Lapitha ex adamantina ἀπιδείας materiâ conflatus fingitur.

XI. Pugnam igitur aggreditur forti animo, & inde mox dispicit, an hostis potentiâ superior nec ne? Si æqualem vel paulò majorem hostem sentit eâ, adit pericula, quâ decet, ratione & solertiâ militari. Si hostem viribus prævalere, aut circumstantias reclamare videt, neq; ullam necessitatem urgere, non adit periculum, ne in audaciam potius ruat. Fugam ergò arripit, non ut timidus, sed ut vir prudens, cum nihil adjumenti Reipublicæ adferat. Si pugnaturus se sufficienter instructum videt, tum ipso fortitudinis actu se virum præstat. Hinc igitur confidentia & magnanimitas requiruntur, non tanquam partes, sed tanquam quædam requisita, cum sine his Fortitudo exerceri nequeat. Confidentiâ autem opus est, ut animus eò meliùs præparetur, vel alacrior reddatur ad res magnas aggrediendas. Magnanimitas (non sumitur simpliciter pro virtute illâ morali, sed respectivè pro certo fortitudinis actu causali) ad operis administrationem requiritur, ne animus in negotio, quod semel aggressus est, succumbat.

XII. Alterum quod in viro forti requiritur officium, diximus esse constantem & masculam perseverantiam, ne scil. hostem tantùm aggrediatur, & tandem animum deponat, seq; in pedes conjiciat; sed ut etiam in certamine se virum ostendat, & à capite ad calcem usq; perseveret. Hic iterum duo oportet adsint, Patientia & Perseverantia. Illa (quatenus diurnam arduarum rerum denotat perseverantiam, non ut vulgò loquuntur Semivirtutem) ne ani-
mus

mus ob occurrentium malorum difficultatem frangatur;
Hæc (prout in quâdam permansione difficilia sustinendi
consistit) ob diurnam rerum difficilium propensionem;
ne inceptum deserat. Perseverantia autem non obstat,
quo minus vir fortis fugam quandoq; arripere possit, si
scilicet nullum in Rempublicam redundet damnum. Sa-
tius enim est fugâ sibi salutem quærere, quàm instanti
hosti victas manus tradere.

XII. Nihil tamen detrahit viro forti, quâcunq; etiam
ratione hostem aggrediatur, aut dolis & insidiis aut aper-
to Marte. Etenim ut venator (Lips. lib. 5. Pol. c. 17.) fe-
ras quasdam vi & manu interficit, quasdam occultis sub-
sistens laqueis aut retibus captat; ita parare insidias belli-
cas hosti, qui injustè nos læsit, licitum est: præsertim si
fortior hostis extiterit, & militibus magis instructus sit.
Per stratagemata enim sapissimè effecere tres, quod Mar-
te aperto trecentos pluresve, cui non notum? Pellis igi-
tur vulpina assuenda, quo leonina non pertingit; siqui-
dem ejusmodi belli furta, ut Thucydides loquitur, pul-
cherrimam habent laudem, per quæ hostes maximè de-
cipiuntur, & amici plurimum juvantur: modo non fiat
cum fidei violatione, uti olim ille, qui, cum triginta die-
rum essent pactæ cum hoste induciæ, noctu populabatur
agros, reprehensus respondit, quòd dierum essent cum
hoste pactæ induciæ, non noctium. Cic. lib. 7. Offic.

XIV. Quemadmodum verò omni virtuti morali com-
mune est, locum tenere inter duo extrema, ita ut alterum
ad nimium, alterum ad parum declinet, sic & nostra hæc
virtus medium occupat locum inter Audaciam & Timi-
ditatem. Est vero Audacia vitium, quod in excessu peccat
circa terribilia. Hoc vitium multis modis committitur.
Sic audax dicitur, qui rectâ ratione propositâ solius appe-

titus

titus sensitivi ductu, absq; ullâ præviâ consultatione in primâ coitione masculè hostibus se opponit; & acriter instat, & periculis ingravescens animum despondet, & turpissimè ex acie fugit. Hoc carbone notatur confidentiam (ut Comicus ait) in ventre habens, & Martem in lingua, & in hostem ruit, viribus & lacertis confusus, & de vastitate corporis, & innumeris suis victoriis frequenter & Thraconicè gloriatur: Meus est balista pugnus, cubitus capulta est mihi, humerus, aries; tum genu, ut quemque icero, ad terram dabo; dentilegos omnes faciam mortales, ut Plautus in Captivis hos ipsos describit.

XV. Talis Audacia erat Gigantum, qui Diis bellum intulerunt, vel etiam Germanorum priscorum, qui tantum timebant, ne cœlum rueret. Notandum tamen est, quod audaces cognitionem quandam habeant cum Fortitudine, sed talem, quæ in umbrâ non in essentiâ consistit. Periculum adit & audax & fortis intrepidè, sed hic cum consilio & ratione, ille cœco impetu: hic τὸ καλῶ ἔνεκα, ille ex temeritate: hic fortiter, ille clamosè & inconstanter.

XVI. Alterum in defectu est Timiditas, quâ pavido fractoq; aliquis est ingenio, ut etiam ea, quæ non debebat, metuat. Nihil certè est, quod timidus audeat. Quandoq; etiam ipsam umbram, non alienam, sed suam, & muscas prætervolantes metuit; ad soricis stridorem expavescit, in pulicis morfu Deorum implorat opem. Ne tamen simul naturæ fiat injuria, necesse est ut distingvamus inter timiditatem Physicam, quæ melancholicis naturâ inest: hos enim pavitare in tenebris dicit Scal. exerc. 307. s. s. quia spiritus sint atri & distracti non repræsententur imaginationi, & inter Timiditatem, quæ habitum connotat; eaq; hoc loco in vitio esse dicitur.

XVII. Timidis accensemus illos, qui sibiipsis ex desperatione

ratione quādam ac vitæ radio violentas manus inferunt. Non enim viri fortis est in miseriâ & imminentibus periculis animum abjicere. Nihilominus tamen fuerunt, qui gloriæ sibi ducebant, si seiplos ex petris præcipitarent, in ignem conjicerent, vel alia ratione neci traderent. Inter Ethnicos Epictetus agebat: Quod caput est memento apertam esse januam, ne sis pueris timidior, sed ut illi dicunt, cum re aliquâ amplius non delectantur, se diutius ludendos non esse; Sic & tu cum quādam ejusmodi esse videbuntur, ubi te diutius luserum esse negaris, recedito. Quod ipsum Zeno Cittæus & Cleanthes, præcipua disciplinæ Stoicæ lumina, suo comprobarunt exemplo, qui ultro sibi mortem consciverunt: ille cum à scholâ abiens offendisset, & digitum perfregisset; hic ex gingivâ putrescente laborans cum ad triduum jussu medicorum cibo abstinuisset. Hinc Seneca Drusum Libonem adolescentem non tantum laudat, qui agrotus ad cohortationem Scriboniæ amicæ suæ vitam spontè finit, sed refutat etiam sententiam Pythagoræ, Socratis & aliorum contrarium statuentium.

XIIX. Verum enim verò rectæ rationi omniumq; legum normæ esse contrarium quis non videt? Siquidem hoc ipso facto Majestati divinæ bellum indicitur, quæ homini vitam concessit. Juri naturæ adversatur, quæ civem magistratui vult esse devinctum, non officiis tantum civilibus, omniq; reverentiâ, sed vitâ ipsâ. Societates enim non minus civiles quàm reliquæ naturam ipsam pro fundamento cognoscunt. Meritò igitur illis cornua obvertimus & concludimus cum Cicerone in somno Scipionis. Piis omnibus, inquit, retinendus est animus in custodia corporis nec injussu ejus, à quo ille nobis est datus, ex hominum vitâ migrandum, ne munus humanum
B a signa-

assignarum à Deo defugisse videamur. Quibus etiam Cur-
tium adolescentem, Equitem Romanum, & Lucretiam
adnumeramus. Distingendum verò est subjectum, cum
àuxesias plurima esse possint genera. Nam vel sunt deli-
rij & phrenesos, vel desperationis, vel ultionis & vindi-
ctæ, vel præcipitantiæ & temeritatis. Phreneticos Theo-
logis relinqvimus: de reliquis autem hæc hæctenus sint
dicta.

XIX. Anteqvam progrediamur, monendum quoque
verbo videbatur, quòd nec illi, qui duello congregiuntur,
fortes sint. Nam contra Deum gravissimè delinqvunt,
cùm ipse juris judiciorumq; publicorum tutelam hunc
in finem ordinaverit, ne pro lubitu quilibet levissimà non-
nunquam de causâ sibi concessam existimet vindictam.
Qui vincitur, Rempublicam privat cive, & se pœnitentiâ.
Qui vincit, conscientia stimulo agitur, ut sibi ipsi despe-
rabundus violentas interdum inferat manus.

XX. Sed nec ille, qui provocatus se duello non sistit, ti-
midus aut ignavus est dicendus, cùm leges bene consti-
tutas observet, & Magistratui obsecundet. Ergò non cer-
tamen recusat timore percussus, sed observantiâ legum
adductus. Stultus enim sit oportet (verba sunt Sagitta-
rij) qui cùm necessitas non svadeat, neq; etiam Reipublicæ
salus aut tranquillitas hortetur, sese in aperta pericula
conjiciat: O stolidi, exclamat Christophorus de capite
Fontium contra monomachos feroces, qui dum in vin-
dictam ruitis, vitæ hujus discrimen incurritis! Nonne vi-
detis vos specioso honoris titulo deceptos à Diabolo ad
carnificinam duci? nonne pœnitet periculosi certaminis?
Ubi vigor ille animæ & præstantia ingenij?

XXI. Sicut autem Soli, mundi illi oculo, non rarò pa-
telij, adjunguntur, qui imaginem ejus repræsantant, &
sub

eâ oculos fallunt, ita veræ etiam Fortitudinî umbræ Fortitudinis sapissimè adfociantur, larvam potius quàm Fortitudinem exprimentes. Apparentes autem, quæ titulo & schemate Fortitudo sunt, in rei veritate nihil minus, quinque species ab Aristotele numerantur. Apparens verò & vera generatim conveniunt in eo, quòd tam in hac, quàm in illâ quædam ἀφοβία animusq; ad pericula adeunda promptus sit. Differunt quòd vera honesti gratiâ agat: simulata non item: quòdque sit constans ac perpetua, quia est habitus; ista verò non item.

XXII. Palmam autem præripit illa, quæ est civium, in republica, cum vel præmijs vel honoribus invitati, vel ignominia, quam metuunt, compulsi se viros præstant. Hoc genus apparentis Fortitudinis quanquam à vera fortitudine non procul recedat, tamen revera fortitudo non est. Differt enim à verâ causâ efficiente. Non enim est voluntaria, nisi secundum quid. Quandoque etiam absolutè coacta imperio legum. Hoc pacto Xerxes apud Thermopylas Persas verberibus ad pugnam adigens aciores reddebat. Non idem finis, quia non simpliciter spectant honestatem, sed metu & necessitate honesti excitantur; nec dedecus, sed dolorem & pœnas effugere laborant.

XXIII. Hanc insequitur Fortitudo militum, qui ideò quòd vel periti sint reibellicæ & exercitati, vel metum sæpe, qui vulgò magnus videtur, inanem esse sciunt, pericula contemnunt. Differt à verâ efficiente, quòd non consilio & prudentiâ, sed tantùm experienciâ nitatur. Fine, quia non tam honestatem, quàm vitæ utilitatem & spolia intendit. Hæc autem Fortitudo militaris videtur inferior superiore, quam appellavimus civilem. Milites enim, quam diu periculi suæ fidunt, hostibus se superiores autumant. At ubi hanc tantam non esse, quantum putarant, vident, stationem

suam deserunt, & fugâ dilabuntur, adeoq; deteriores sunt civibus. Hi enim eousque pugnant, donec occidantur. Hoc docet nos exemplum militum Boeoticorum Cronensibus in Hermæo ad suppetias ferendas missorum. Ibi enim cum cives unam partem muri, alteram milites tutari deberent, hostesque occupatâ per proditionem arce in urbem irruerent, cives hostes fortissimè sustinentes pro patriâ occubuerunt; milites a. ad primum impetum stationem suam deseruerunt.

XXIV. Alia adhuc est Fortitudo; quæ vocatur iracunda, quod ex irâ, dolore, aut simili quodam animi affectu oriatur, ut si quis iræ presentisq; vindictæ illecebris allectus, aut affectibus inflammatus, se temerè maximis exponat periculis. Hæc autem à quibusdam pro vera Fortitudine venditari solet, quia maximum calcar ad pericula subeunda iste affectus addit. Hæc verò ratio adeò prægnans non est, ut veram Fortitudinem eam dicamus. Fortem quidem adjuvat ad audendum, quod pulchrum est, non tamen nisi solius honestatis intuitu excitatur, nec affectu tantum confertur in suum subiectum, sed simul cum consilio. Iræ autem commotio quantum valeat videre licet in bestiis, quæ irritatæ magno impetu feruntur in eos, à quibus læsæ, quamvis aliàs in sylvis ac paludibus quiescant, aut etiam homines formident & fugiant. Pugnaees igitur illi sunt, qui solo animi affectu commoti pericula adeunt, non verò fortes. Inter pugnacem autem & inter fortem multum certè interest, quod vel ex Scipione Africano liquet. Nam cum & hunc quidam parum pugnacem esse dicerent, id respondisse fertur: Imperatorem me mater non bellatorem peperit. Differt hæc à vera Efficiente; quia ex offensione aliqua existit & dolore, vera autem ex certo animi proposito, Materiâ, quia malis
etiam

etiam hominibus competit & bestijs, vera autem tantum prudentibus & bonis. Formâ, quia ab effectu rapta præceps fertur, vera autem sequitur rectam rationem. Fine, quem habet vindictam; vera autem honestatem. Ad veram quidem etiam requiritur ira, sed moderata, quæ neq; consultationem, neq; electionem impedit aut tollit.

XXV. Sed & ij, quos recordatio præcedentium victoriarum, item externa præsidia in periculis prævisis, spesque futuræ victoriæ excitat, nomen fortis mereri haud videntur. Habitus autem, ex quo taliter agunt, Fiduciaria Fortitudo appellatur. Verum & hi ut ebrij magna spirant tamdiu, dum persuasum habent, se solos virtuti & Martitalitate. At ubi sperata paulo eveniunt secius, actutum & clypeo & animo abjectis diffugiunt. Differt à verâ Efficiente, quia ab externis auxiliis pender, non à bonitate causæ. Materiâ, quia in prævisis tantum sibi constat periculis, in subitis autem & repentinis animum desponder. Formâ eò quod spe abjectâ flaccescit, neque ad mortem usq; constans est. Fine quia non honestatem sed victoriam propositam habet. Coincidit hæc species penè cum secunda; hoc tamen discriminis interest, quod ibidem causâ impulsiva sit experientia; hic verò spes victoriæ animum addat. Utrobique tamen honestate neglectâ & inconstanti animo pugna suscipitur.

XXVI. Postremò mentitur quoque Fortitudinem illa, quæ ex inscitâ oritur, diciturque ab Ethicis communiter stolidâ, rusticâ & insciâ. Talis autem plerumq; est in tyronibus, seu novitijs militibus, qui ob imperitiam vel incogitantiam suam periculum nescientes, interdum alacriores esse videntur, cum ad bellum aut pugnam eundum, quàm veterani milites. In his tralatitia *παρρησία* lo-

B 3

cum

cum invenit: γλυκὺς ἀπείρω πόλεμος, dulce bellum in-
pertis. Exemplo sunt Argivi, qui cum incidissent in La-
cædemonios, valdè strenuè pugnabant; sed cum experirẽ-
tur esse Lacædemonios, statim terga dederunt. Quanto
tamen intervallo hæc à verâ Fortitudine distet, faciliè in-
telligere est, quia sine consilio pericula adit; vera autem
omnia præmeditatè, consilio certo & constantiâ, hæc
subit & constans permanet, neque faciliè tam in præ-
vilis, quàm subitis periculis à proposito dimoveri po-
test. Differentia porrò in eo, quòd ignominiam præfe-
rat honestati; vera autem reliquis omnibus utilitatibus
honestatem præponat, eamque tanquam scopum, ad
quem collimet, propositam habeat.

XXVIII. Ex his omnibus itaque jam constare potest,
non tantùm quis revera sit fortis, sed & quinam, & quo-
usque ei similes. Verùm antequam concludamus notan-
dum est, si aliæ videantur esse species & hujus virtutis,
illas faciliè ad superiores redigi posse, ut eam, quæ despe-
rationis est. Si quis enim animum despondeat, ut suâ de
salute jam actum putet, in medios hostes, in gladios, in
ipsam mortem irruit, ut Locrenses, quorum millia quin-
decim cum spem omnem salutis abjecissent, centum &
viginti millia Crotoniensium in fugam egerunt. Vi-
detur autem desperatio ad primam speciem, sicut
& Zelotypia, reducenda esse. Quo etiam finimus

& D E O Fortitudinis pro fidelissimo ductu
& adjutu gratias agimus.

ADJE-

ADJECTANELIM.

I. Adposituri cognatam materiam de morte martyrum tantum quorundam Philosophorum recitabimus sententias. Vir Clariss. & Excellentiss. D. Jacobus Martini lib. 2. de virtute p. 190. de hac quaestione ita: In martyrio res est plana, quod ad objectum Fortitudinis pertineat. Nam Fortitudo est firmare animum in bono contra timorem: Atque martyr firmatur in bono fidei & religionis contra timorem. Gutkuis ita colligit: Ubique datur excellentissima mortis species, ibi datur quoque nobilissimum Fortitudinis objectum. De martyribus verum est prius; quia suo sanguine veritatem doctrinae caelestis confirmant. Immo martyrium est actus Fortitudinis praestantissimus, quod acerbissimam mortem subeant intrepido animo, & gravissimos sustineant dolores. Hos augent convicia adversariorum. Aliud adminiculum petunt inde, quod nulla detur elabendi cum honestate via.

II. His contra eunt plurimi sane sequentibus innixi fundamentis. Nam (1) ratione objecti Fortitudo maxime & proprie versatur circa fiducialia. Omnes enim abeunt in bellum spe victoriae invitati, nemo ut cadatur, nisi secundario & ex eventu: At Martyres nulla fiducia, nulla spes lactat, scilicet, quae sit proportionata virtuti Ethicae. (2) ratione formae, quae potissimum lucet in actionibus viri fortis. Ibi primo consistit Fortitudo in feriendo, secundo in ferendo. Prior martyribus non competit. Uterque autem de viro dicitur forti. (3) ratione causae efficientis Fortitudo proficiscitur ab actione absolute spontanea: At Martyrica tolerantia pertinet ad classem τῶν μισθῶν. (4) ratione finis. Fortitudinis politicae finis est gloria politica: ac Martyricae mortis ignominia politica. Wallisesus alio ariete priorem oppugnat sententiam, qui sumitur ex natura habitus multis actionibus acquirendus; At martyrium semel alicui tantum contingere ait.

III. Ex his utriusque partis rationibus elige sententiam magis probabilem.

Ad d



Ad

Ornatissimum Respondentem.

JOHANNEM SARIUM.

Tuere, SARI, docto & acri pectore,
Ut ominamur, disputanda quæ tibi
Sumsti peritè tempus ad nostrum & benè.
Nam quæ procellæ, quanta tempestas adhuc
Ruit tonatque mille rerrores vehens?
Atque docetur fortitudo tum optimè,
Firmare mentem quando præcipuè expedit,
Ne, quæ laceffunt undique, excutiant mala.

AUGUSTUS BUCHNERUS.

ET quandoq; furens igniq; & acinace saxo
Pallada quassatam Mars revelare studet:
Ast Heliconiadum prudens meletema vel unum
Plus cunctâ Martis perditione valet.
O utinam caperet tecum tua tmemata miles,
Quid fortes deceat, dedeceatq; viros!
Non equidem juris facies tam discolor: haud &
Mortibus innumeris strata maderet humus.
At nos invicto penetremus pectore: forti
Duram animo sortem jam sibi quisq; ferat.
Quare perdura, SARI doctissime. Lætum
Tempus erit, Musis quo mera malsa fluent.

Commilitoni amicissimo

f.

M. Abraham Berderman/
Elect. Saxon. Alumnus.

F I N I S.

05 A 2354

ULB Halle

3


003 784 215



Q11







DISPUTATIO PHILOSOPHICA
De
FORTITUDINE,
quam
PRÆSIDE
M. MICHAELE WENDELERO
Moralium & Civilium P. P.
publico examini submittit
JOHANNES SARIUS LIEBSTADIO.
Mifnicus Alum: Elector:
in Auditorio minori
ad diem 20. Februarij horis matutinis.

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO MDCXLI.

38